# DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA DE VARIIS ANIMI AFFECTIONIBUS...

Giuseppe Campostrini

*Dissertatio inauguralis Medica*

DE

# VARIIS ANIMI AFFECTIBUS

QUAS

CONSENSU ET AUCTORITATE PERILLUSTRIS DIRECTORIS AC PRÆSIDIS FACULTATIS MEDICÆ SPECTABILIS DOMINI DECANI NEC NON CLARISSIMORUM D. D. PROFESSORUM UT DOCTORIS MEDICINÆ LAUREA SUMMIQUE IN MEDICINA HONORES AC PRIVILEGIA RITE CONSEQUANTUR IN ANTIQUISSIMA AC CELEBERRIMA UNIVERSITATE TICINENSI

AUSPICE

**DOCT. FRANCISCO FLARER**

*Therapiae et Clinices Ocularíae P. O.*

UNA CUM THESIBUS DEFENDENDIS

*MENSE FEBRUAR. ANNO* 1845

PUBLICÆ DISQUISITIONI OFFEREBAT

**JOSEPHUS CAMPOSTRINI**

TIROLENSIS AB ARVIO

TICINI REGII

EX TYPOGRAPHIA FUSI ET SOCII.

OPTIMO PATRI

222

## PRÆFAMEN.

Sit tibi praecipue, quod primum est, cura salutis
  Tempora ne culpes, quum sis tibi, causa doloris.
Quod nimium est, fugito, parvo gaudere memento
  Tuta magis est puppis, modico, quae flumine fertur.

CAT.

Physiologia et praxis quotidiana nos docet inter vitam physicam et psychicam plures et quidem arctissimos vigere nexus. De hacce relatione inter animum et corpus atque viceversa plures auctores magni nominis classico dissertarunt calamo. Forsan audax foret juvenis medicus adhuc praxi propriae jejunus de variis animi affectibus disquirere; ast si vires tanto muneri haud sufficiunt, non deest certe bona et casta voluntas ut quantum fieri licet munus academicum pro Laurea medica rite adipiscenda expleatur. Caeterum dum ingenium deest in bonis honestisque rebus satis incepisse juvabit.

Hunc meum brevem sermonem in tres dividam partes.

In primis dicam quantum influxum exerceant animae facultates in illas corporis, et versa vice, demum ostendam quantum in medicinae praxi intersit humani spiritus facultates agnoscere vel melius, dicam; varias sensationes quae in ipso suscitantur.

Unicuique patet et forsan propriae experientiae, quanti sint ponderis animi affectus in animali oeconomia; hisce maxima producuntur damna, maximaque gignuntur bona juxta malam vel pravam ipsorum indolem; atque historia nos satis edocet de eorum deficientia, super nos gravissimos gignere morbos verum etiam ipsam mortem plurimosque infelices extremo fato arcere. Isti effectus efficiuntur ope cerebri, cum hoc or-

ganon innumeros nervorum ramos omnibus visceribus mirabili cum dispositione promanet, juxta impressiones, diversas modificationes quibus adficitur persentire debet. Haec modificationes hominis vitae necessariae, excitando vel deprimendo bonos vel malos in humano organismo causant effectus.

Vita certe maximum esset donum si doloribus expers, inter delicias continuo agitaretur. Sed hic status homini certe non conceditur sed potius vana est idea fervidae poetarum menti tribuenda. Qui propria explet desideria felix est, sed ad felicitatem obtinendam oportet desiderare et qui cupit felicitatem nondum assecutum esse ostendit, igitur perfecta felicitas est impossibilis. Ex altera parte miserrimus vocari poterit ille qui absque ullo obice propriis satisfaceret cupiditatibus. Vita igitur sistit in nonnullis desideriis quae unusquisque assequi conatur et in hoc sistit sola felicitas quam exoptare possumus et in honesta mediocritate tantum invenitur, quae poetibus atque sophiae amantibus plurimis facta est, felicitas regum palatiis aeque ac pauperum tuguriis ignota.

Deliciarum effectus juxta qualitatem et quantitatem dissentiunt.

Desiderium moderatum est animae bonum, quod, quacumque causa procedat, dulcissime vitam nostram recreans ad ejus serenitatem exposcendam nos impellit.

Idea oblectamentis plena levis aurae instar super totum organismum diffunditur, amoenissimas mutationes producens. Vir suapte natura mansuetudini, benevolentiae, pietati, atque praeclaris animi factis est pronus; et ubi cerebrum etiam parvo in gradu vexetur ejus impressionabilitas tollitur, et cum perceptio idearum deficiat, ejus actio suspenditur et diversorum organorum exercitium lente et summa cum difficultate perficitur. Et si nos rerum scriptores excurrimus voluptatem nimis intensam, plures ipsam mortem attulisse animadvertimus.

Vir qui quamvis repetitis animi deliciis moderate fruitur, felicissimam vitam vivit et in ejus vultu gaudium, laetitia, suavitas conspiciuntur.

Timor, dolor, tristitia, nostrarum cupiditatum privatione obortae, adeo tristem animi statum constituunt ut gaudii instar juxta majorem vel minorem intensitatis gradum, diversos effectus gignant. Opprimitur miser qui continuo suspiria, singultus emittit, et propriam ideam fixam animo tenens omnia

aperuit objecta externa et tamquam non adessent illis occupatur, et laborum atque distractionis ineptus fugit somnum et etiam dormiens propriis moeroribus exagitatur, et loquens proprios cruciatus ostendit tantum unicum levamen quod in suo misero statu experiri possit. Hisce circumstantiis perstantibus mortalis pallor infelicem invadit; omnia atrum colorem acquirunt, neque dies absque atris nubibus surgit et ipse sol infausta emicat luce, invidet amicorum felicitati, omnia eum perturbant et a placida ove in rabidum convertitur lupum, hominum consortia fugit, solitudine tantum delectatur, vires eum relinquunt et doloribus consumptus miser lento gressu ad extremum impellitur fatum.

Cupiditas nostrarum affectuum prima fons in animalem oeconomiam magnum exercet influxum respectu habito ejus diuturnitati atque vi, sed hic variat prouti spe aut metu comitatur. Cupiditas spe conjuncta fere gaudium equiparat cujus optimos producit effectus; est juventutis dulce patrimonium, quae nimia propriis viribus fidens, atque virili experientia carens nondum decipi, atque eludi potuit. Desiderio spei juncto tribui debent mirae mutationes quae medicaminibus fere nulla activitate pollentibus, subsequuntur.

Atque hic quamplurima facta quae hujus rei veritatem asseverant adducere possem; sed unum tantum referam, brevitatis causa, caetera silentio praetermittens.

Puella nobili genere nata aegrotans continuo instabat, ut medicus ei remedium purgantem praescriberet, in quo unicam salutis spem reponebat. Medicus vero contrariam tuebatur sententiam, dubitans ob hujus remedii administrationem aegrae aliquid noxii venturum esse; tandem ut illius repetitis precibus satisfaceret, nonnullas pillulas mica panis confectas scopo purganti administravit; hisce sumptis non multo post, obtatum habuit effectum, medicusque contentus evasit se tantum remedium detexisse.

Aspice juvenem procul patria, dilectis parentibus, qui etsi ab alpestri patria in locum omnibus deliciis plenum delatus sit, tamen fit tristis, meditabundus ejusque vires sensim sensimque in pejus ruunt, idea patriae in ipso profunde sculpta, tamquam unum bonum felicitati suae necessarium eum jactat, nostalgia afflictatur, atque ipsa inanis evadit, certe morti occumberet, ni spes patriam, parentesque revisendi vitam jam perituram sustentaret; domum redit parentes amplectitur, et de repente veluti prodigio pristinam

acquirit salutem. Sola igitur spes extremo fato eripit miserum cui nulla amplius salutis anchora manet.

Non loquor de noxiis effectibus fastu, atque caeca honorum cupidine productis. Sufficit ut populorum historiis attenta mente volvamus et undique cernuntur gravissima mala, horrendaque scelera pravissimis affectibus enata.

Nunc ostendam quomodo hae animae adfectiones moderari, imminui, imo etiam supprimi possint.

Et re quidem vera si perpendam hominis vitae rationem, loca ab ipso exulta, juxta diversas quas accipit impressiones, animi mentique facultates mutari debent.

Alimenta in humanum organismum tantum influunt ut illum omnino mutent; cum cerebrum aeque ac caetera oeconomiae animalis viscera huic vi subijciantur, ejus actio augeri vel imminui debet. Alimentorum actio tantum pollet ut, dummodo convenienti modo adhibeatur intimam organorum texturam commutare valeat. Quare quammaxime oriri debent mutationes summa cum facilitate tum in vita hominis animali cum organica. Nobis compertum est jejunium protractum delirium inducere, diaetam vegetabilem et lacteam,

substantias acida facultate praeditas viscerum vitae organicae pertinentium activitatem imminuere et inde cerebrum ipsum infirmius evadere; scimus quod in hominibus qui relaxantibus substantiis vescuntur universa sensibilitas imminuitur, impressiones externae tardiores evadunt, quod talia alimenta animi affectus coercent, mutant indolem, intelectus proprium activitatem ammittit, quod individua hujus imperio subjecta sunt torpida, laxa infirma atque parum valent.

Non ignoramus innovatores hisce circumstantiis abusos esse ut eo facilius proprios asseclas duro premerent imperio.

E contra alimenta nutrientia motus organicos accelerant et sistema nervosum tali victo profunde excitatum proprium sentiendi facultatem adauget.

Homo qui talibus substantiis vescitur intelligendi atque ideas reproducendi facultatem maximo in gradu exhibet, omnibus virtutibus praeditus ad nobilissimam metam adspirat, atque ipsa organa motoria quasi animae energia fruuntur.

Cibi facile digestu, absque ullo stimulo plurimum nutriunt, cibi digestu difficiles et parum nutrientes quales nonnullis hominibus continuo ingeruntur, in ventriculo et dige-

stionis organis actionem, ut ita dicam, topicam permanentem provocantes, non sinunt ut organa sensuum atque intelectualia propriam evolutionem adipiscantur.

Talia alimenta cerebri actionem imminuunt, nempe sensibilitas, memoria, immaginatio, judicium, intellectus, uno verbo omnes cerebri facultates vacillant. Apatia et insensibilitas hanc pravam nutritionem comitantur; istis hominibus vitae mala et bona pari modo non agnoscuntur.

Si ab istis contemplationibus, animum intendimus ad mutationes, quas potus in cerebro auscitare valent, certe mirabimur effectus quos in hoc organum ipsi producunt, effectus qui et rapiditatem, atque celeritatem qua gignuntur magis aestimantur.

Aqua atque potus aquosi in ventriculo nullam exercent irritationem, quae ad cerebrum diffundi possit, cum vero homines sitiunt, hunc molestissimum atque importunum statum auferunt, gratissimamque relinquunt sensationem.

Absorpti sanguinis crasim mutant, eique virtutem propriam excitentem adimunt, et sanguis organa sua praesentia amplius non stimulat. Tunc cerebrum inera languet, imminuitur sensibilitas, sensus torpent, obtu-

pet intellectus, animi effectus minimo evolvuntur gradu, vir abstemius parum intelligit, et juxta sensationes quae in cerebro suscitantur tantum aperatur.

Sed hi effectus eo plus manifestantur si exclusive aqua abutatur, quoniam maxima est influxus quem exercet protractus usus hujusce potus.

Haustus stimulantium speciatim illorum qui alcoole abundant adeo sensiles reddunt effectus ut eos referre sufficiat. Usus moderatus vini sanguinis circulum sollicitat, cerebrum excitat, sensibus magnam alacritatem impertitur, ideas explanat, imaginationem validiorem reddit, vis atque musculorum robur angetur atque homo factis existentiae suae conscientiam hostendit

Vini immodicus usus neque ac cetera excitantia contrarios gignit effectus, in tardum languorem organa impellit et ut hic tantum loquar de laesa innervatione, nonne bacho dediti stupidi fiunt? Frustra sensus externis objectis excitantur, perceptio vel torpet vel deficit, memoria, imaginatio, intellectus silent et in ipsis generosis factis clausa est via.

Condimenta quoque cum cibis, ac potubus conveniunt in proprium influxum exercen-

dum super systema nervosum, propriam actionem adaugent, vel imminuunt prouti qualitatibus plus minusve excitantibus vel deprimentibus praestant. Et re quidem vera homines qui alimentis tonicis et roborantibus vescuntur, et mere generoso atque potubus stimulantibus ac condimentis ejusdem generis indulgent, generatim maximo robore physico et facultatum intellectualium evolutione pollent, scilicet motus organorum vitae organicae atque animali spectantium magis eminere quam illis qui contraria omnino fruuntur vita.

Igitur meo judicio verum est victum certis legibus ingestum facultates mentales et affectivas excitare et refraenare posse. Sed cibi, potus, condimenta, quorum actio diuturna in oeconomia animali tam profundas sculpit mutationes non sunt soli stimuli, quibus excitantur, cohibentur, et fere adimuntur animi adfectiones; sed alia adsunt hygienae elementa quorum imperium est pariter diffusum, quae in cutem, organa respiratoria, et organa sensuum continuo agunt; haec sub nomine clymatologiae comprehenduntur.

Veris tempore accipiens animo naturae sensationes quae ejus oculis arridere videtur,

hominis cor spe, amore et gaudio exultat. Aestivis autem diebus debilitas generalis nimio calore qui ingentes causat jacturas inducta, malum in cerebro exercet influxum. Sensationes torpent, languet intellectus, animi affectus silent, et sopore victa jacent membra. Congestio fere perennis ad encephalum, somnum causat eo plus necessarium ob lassitudinem inductam a supradictis jacturis. Hoc evenit in nostris regionibus, sub zona vero torrida haud parum differens evadit. Convulsiones, melancholiae, omnesque morbi cerebrales illis calidissimis regionibus sunt endemici. Nec minus influit frigus in praecipuum vitae organum juxta majorem vel minorem intensitatis gradum et statum hygrometricum.

Generatim frigus sensibilitatem imminuit ideoque percipiendi facultatem et e contra contractilitatem adauget. Tandem quid dicam de variis educandi modis?

Nonnulli diversis animi adfectionibus foventes, hominem propriis convivibus intolerabilem imo exitialem reddunt, alii facultatum intellectualium evolutionem retardantes, eum in miserum statum projiciunt, et objectorum externorum stimulos non amplius

persentiens vitam vivit, ut ita dicam, automaticam.

Nunc transeam ad tertiam partem, exponens quantum intersit medico practico studium animi affectuum.

Haec non semper reprimi debent; sicuti experta manu administrata etiam dirissima venena salutis causa fuere, sic animi affectus leniter et prudenter sublevati ad felicissimum properant finem.

Medico magni facienda est eorum vis, quam clarissime exposuisse, credo, quamplurima facta clarissimis viris recensita, comprobant multis morbis qui omnibus aliis remediis obstiterunt eam in auxilium revocari posse. Haec in morbis nervosis majorem virtutem patefaciunt. Hisce morbis mirrifica phaenomena producuntur. Si vero alias causas non agnoscunt, nullum etiam therapeuticum auxilium agnoscitur, inde causa morbi cognita tolli debet vel saltem imminui, constat aegri fidem in medicum, hisce in casibus summopere juvare, etiam minimas causas disponentes vel occasionales hisce sub circumstantiis exquirere debet, quoniam haec quamvis parvi videantur momenti plurimis in casibus rem explanare possunt. Certum est causas excitantes maximum numerum

constituere et quotidiana experientia nos edocet inter excitantes potentias nocentes nullam aliam statum iperstenicum vel asteuicum facilius progignere animi affectionibus. Medicus ob artis suae exercitium cum variis societatis individuis commercium tenet, inde eorum inclinationes agnoscere, animaeque adfectiones perscrutari debet.

Plures de facultatibus moralibus curam habere debet ut arceat morbos animi pathematibus provenientes, ipse metu, spe, gaudio, monitis redarguitionibus, minis, mala omnibus caeteris remediis ressistentia avertere debet, adeoque vires organismi commutare potest ut morbus fere semper disparat; quandoque hisce rebus neglectis aeger ad infaustum properat finem.

Cuncta objecta in cerebrum exercent et juxta majorem vel minorem impressionem majori vel minori vivacitate nos operamus. Haec nos per totum vitae curriculum plus minusve moderant. Spiritus cujus imperio subjicitur organismus ejus motus regit, qui ab eo omnino pendent. Quemadmodum quidam stimuli potius in unum quam in aliud corporis organum influunt; sic animae adfectiones potius unam quam alteram partem adficiunt. Observatur revere nonnullos animi affectus

digestionis functiones turbare, dum alii eam promovent atque faciliorem reddunt, alii hepar affectantes bilis secretionem adaugent, alii intestina alii cistidem urinariam atque organa generationi inservientia et sic porro adoriuntur.

Si spiritus facultates placide atque jucunde peraguntur, corporis etiam functiones normae naturae legibus praescriptas parent, omniaque regulariter procedunt et homo tali in statu beatam atque felicissimam vitam vivit. Animi adfectiones excedentes cujuscumque sint generis vitam hominis qui immodice hisce delectatur adimunt, atque longevitati omni nisu opponuntur.

Si medicus igitur omnes potentias, quae debitis organorum motibus nostrum organismum componentium favent, cognoscere debet; si causarum nocentium, vel omnes nostras functiones alterantium cognitioni tenetur, summe necessarium est etiam ut effectus omnes qui ab animi adfectionibus proveniunt ipsi pateant.

Si medicus morborum aetiologiam ignorare non potest, certum est maximi faciendа esse animi pathemata, quibus unusquisque obviam sit, quoniam nemo inficiari audebit, quantum haec ad valetudinem depra-

vandam, vel tuendam juxta eorum qualitates inserviant.

Si medici tandem remediis utuntur ut organorum functiones ad normam revocent, in animi morbis remediis moralibus aegri certe magno cum levamine succurri possunt.

Haec igitur remedia tamquam efficacissima adhibeat, atque ea prouti facultate pollent excitanti vel deprimenti usurpet.

FINIS

## *THESES DEFENDENDÆ.*

I.

Catarrhus epidemicus, vulgo *La Grippe*, characteres morbilli praeseferre quin ipse dici possit morbillus.

II.

Quoque unguentum mercuriale cinereum interne periclitari posse.

III.

Ab iisdem animi affectibus, morbos indolis oppositae originem agnoscere.

IV.

In hydrophobia praeprimis nervum accessorium Willisii pati.

V.

In paralysibus electricitas methodo endermica suadenda.

VI.

Aloes soccotrina modo haemorrhoides devincit, modo provocat.

VII.

In metro-carcinomate injectiones cum decocto fuliginis arridere.

VIII.

Virtus sopiens opii uti primaria consideranda est.